Leta iam inde nunc et semper innumeras gratias refero. quia ut inuenirem te tu prior quesisti me. ut redirem ad te tu compulisti me. ut liberarer tu sicut pius pater respexisti me. ut confiterer tuus orator et tu me recognoscens plangerem. tu dedisti mihi. Pone domine lacrimas meas in conspectu tuo. et perueniat ad te in celum deprecatio mea. Adesto precor et subueni. atque in manibus tuis commendatam tibi me ipsam suscipe. liberans me de ore draconis seuissimi. et de manu atrocissimi inferni cum acceperit me. et auferens de medio umbre mortis. immo deduces me in semitam lucis. in claritatem regionis uiuentium. congrega me in caulis tutissimis gregum tuorum. quia tu es pastor bonus qui requiris et reducis perditam. tu erisque saluas inuentam. foues et saluas languentiam. tu es misericors dominus qui sperantes in te non confundis. requirentes te non relinquis. reuertentes ad te non respuis. sed exultando et laudando suscipis. atque in eterna beatitudine una cum sanctis et electis tuis perennaliter regnare concedis. quia est tibi cum eterno deo patre et spiritu sancto una deitas. gloria. uirtus. imperium. et potestas in secula seculorum amen. Explicit epistola b. Gregorii pape ad Regaredum regem.

Incipit tractatus sancti Augustini de regula monachorum.

Sunt quidam qui uolunt esse remoti a mundo. et secum portant illum. omnia uidentur dimittere. et tamen de rebus perituris et temporalibus sollicitudinem habent. ille laudandus est. qui etiam quod uidet tamquam non uideat et quibuslibet se bonis operibus plenum sentiat. semper se humiliat et peccatorem pronuntiat. Periculum primum monachi uanitas est. cum enim ceperit quantulumcumque aut ieiunare. aut orare. uel psallere. per elationem tumescit animus. quia magnum propositum est monachi et grandis labor. pulchrum nomen. sed sarcina grauis. Qui profitetur monachus esse. uitia cuncta debet relinquere. ne falsum nomen accipiat. sed ab omni peccato esse immunis. Quid enim prodest quod heremum expetit. quod loca diuersa peragrat.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_295/0143

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG